Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8290
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Princeps recte titulo isto vanitatem sibi & aliud nihil collegit.
Si vero nostri huius negocii caussam verbosius vultis auscultare
ut conferam, id de me brevitatem adcipite. Delinquunt pontifices,
peccant principes, facinus ambos statim sacrilegos declarat.
Ad hec qui verbum veritatis atque erroris pontificum & regum salutis
traducit, is nemo habetur. Incauta est maiorum incusatio,
semper enim principes adcusanti res infelici cadit alea, principio
enim difficile creditur primatem hoc immani scelere deliquisse
nec hodie principes ad tribunal vocantur. Si vero princeps in
ius vocatus desconderit, is & iure & iusticia victus abiit
de iudiciis, nemo regem peccatorem castigat, magis vero de
flagitio laudatur, quam ob rem ita licentius peccant magna-
tes, dum nulla pena eos manet, ansamque peccandi liber-
rimam hec peccandi licentia regibus prebet. Deus benevole
nobiscum misericordiam suam impartitur, nimirum mortalis
per totum sue vite tempus peccatis deditus, cui & tandem
rara facta est seraque penitentia a deo veniam obtinuit.
Ecce si deus id amplum pietatis genus cum sordido peccato-
re egerit, quam insuper vos benevolentiam cum viro pio
atque innocuo, cui & semper adversum videbatur crimen
ostensurus est: creditis. Excelsa satis habetur res viro bono,
deumque timenti & qui non dederit animam in carnis vicia,
habet sibi presentem deum, de impio autem quicquid loqueris
id totum se habet semper moribus piis adversum, vultus
enim dei super facientes mala, hinc & peccatori etiam longa
secula si recte supputas erunt quasi umbra. Nam in eo
nullus dei timor fuit, neque unquam cruberit, esto gra-
vissime deliquerit, Impius parum mercedis expectat, sed
multum est premii quo olim deus adpremiabit innocentem
& cui tandem sobria stabant omnia, cui & dei timor a fa-
cie sua declinaverat nunquam. Credunt stulti & quorum carnis
prudentia spiritum depresserit, hanc impiam esse ac adflictionem
si mala & adversa que iustos improbos nominant, vexant bonos
piosque. Et econtrario sunt dulcia que premia recte virtutum

Quia nullum verbum facientibus opera mala

Et bonum non erit impio

Est vanitas que facta est sr vram